



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

Elegia XVII. Magdalena votorum nauim ad tumuli portum aduertit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

Deque triumphali spolium tam nobile curru
Bethanides ducent in mea regna nurus;
Includentque eborique, auroque, ebenoque, sma-
ragdilique

Offa, futura meo dulce monile sinu.
I nunc, & ternum duc terno ex orbe triumphum
Cæsar, & i paribus Cæsaris hostis equis:
Tuque adeò Marcelle, Mari, Luculle, Duilli,
Et Capitolinâ quisquis in arce litas:
Vnicus ille mihi par mille & mille triumphis,
Quis spolium reuehet tam graue, currus erit.
Millia mille Ducum mihi nonne reducet in uno
Ille viro, & toto grandius orbe caput?

ELEGIA XVII.

MAGDALENA votorum nassim ad
tumuli portum aduertit.

VENTVS vt incertis altercans errat arenis;
Sic tibi diu discors diffona vota trahis.
Isque redisque vago, via quâ rapit auia, fluctu,
Ut mendace specu te rea lusit humus.
Nam sibi sit pectus mare mille voluhile curis,
Quod timor atque nouo turbine versat Amor.
Quem sequeris, nusquam est, Iuuat ire periuia
mundi,
Palantemque rapi per vada cæca ratem?
Si qua salis tibi mica, salum fuge flebile luctus,
Non satis experto currere gnara salo.
Litoreo at scopulo tu surdior. Itur in æquor:
Agmen agens fluctus auia vela vehit.
Vada tibi lacrymæ, cor nauis, vota rudentes,

TOM.

Tonfa timor, gemitus flamina, clausus Amor,
Vela piæ curæ, merx aurea funus amantis,
Quod reuehat plenâ spes opulenta rate.
Nautea multa, sed hîc & nausea multa doloris:
Antlia fletiferis manat aquosa genis.
Quisquis in hac pinu sedet, omnibus errat arenis:
Ipsa sibi hæc nauis nauita, & ipsa fretum est.
Attamen hanc fabricat, vastisque gubernat in
vndis
Magdalis, ipsa suo pñè sepulta mari.
Illa volubili in æquore oberrat, & inuocat Euros,
Anxiaque incertâ sub trabe regna secat.
Sæpè minax geminat aduersa pericula terror,
Sæpè vehit prono spes rata vota fallo.
Siue opus est remo, lentâ quatit arbore fluctus;
Siue opus est velo, carbasa panda regit.
Quæ statio hîc, quæris ? statio ah lacrymabile
saxum est,
Cui diram Solymâ mors struit arce Pharon:
Funestam vnde facem cæco prælucet Amori,
Deque necis nimbo sidera dira parit.
Magdala sic queritur mediis depresa procellis;
Quam contra ab supero sic canit orbe fides:
O fuge tam tristem Domini de funere tedam;
Ah tibi portus erit naufraga Scylla dolor!
Sed potius rectum dextrâ rege remige clavum;
I duce spe vitæ conscia signa sequi;
Vitalique Deum iam surgere crede sepulcro:
Quod modò petra minax, ara salutis erit.